

sint de comm. illius martyris, et de socio facienda tantum sit commemor. absque 9. l.?

S. C. resp.: Si in hoc casu II. disjungi commode possunt, legenda est illa de Sancto, cujus fit Officium dupl. propter Reliquiam insignem in 2. n. et erit 4. l., 5. et 6. sumendae sunt de communi; altera vero lectio poni poterit pro 9. l. in 3. n. tamquam de Sancto simplici, de quo fieri debet etiam comm. ad Laudes; si vero non possunt commode disjungi, utraque ponenda est in 2. n. pro 4. et 5. lect., et 6. legenda est de communi, et in hoc casu l. 9. pro festo simplici repetenda non est; fieri tamen debet de eo commemoratio. n. 2812 ad 2 die 16. Jan. 1677.

Prohibitio posita in Breviario §. 2 circa Officium Reliquiae insignis alicujus Sancti dicendum comprehendit Clericos tam saeculares quam regulares civitatis et dioecesis. n. 2844 ad 1 die 20. Nov. 1677.

Clerici, qui non sunt choro addicti, sed tamen in aliquo ministerio deserviunt tali Cathedrali, ubi est Reliquia insignis, possunt celebrare et recitare de tali Reliquia. n. 2844 ad 2 die 20. Nov. 1677.

Non licere recitare Officia de Sanctis intuitu insignium Reliquiarum, nisi constet de *identitate* earumdem, quae scilicet sint de corpore illorummet Sanctorum, de quibus ea die habetur mentio in Martyrologio rom. et non aliorum ejusdem nominis. n. 3041 die 20. Novbr. 1683; n. 3228 ad 2 die 2. Sept. 1690; n. 4542 ad 8 die 30. Sept. 1817.

Idem responsum fuit a S. C. ad dubium: An in Ecclesiis, in quibus asservantur Reliquiae insignes ss. mm., quorum nomina mutuata fuerunt ab illis, quod eorum propria ignorentur, recitari possit Officium de iisdem, in Oratione proferri nomen, quod illis

impositum fuit? n. 3192 ad 3 die 30. Julii 1689.

DECRETUM GENERALE.

Cum S. R. C. innotuerit, quamplures abusus irrepsisse circa recitationem Officii, sub praetextu decreti ab eadem Congregatione evulgati de anno 1630 et in Breviario rom. impressi, in quo permittitur posse in Ecclesia recitari Officia et Missas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora aut Reliquiae insignes in ea asservantur. Emi eidem S. C. praepositi, eisdem abusus evellendis praecipue intenti, inhaerendo Decretis alias in similibus editis declararunt: „Praedicta Officia Sanctorum ratione Corporis seu insignis Reliquiae recitanda intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis seu Reliquiae insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio romano descriptus; de caeteris autem Sanctis in praedicto Martyrologio non descriptis aut quibus a s. Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari et Missas celebrari vetuerunt, non obstante, quod ipsorum Corpora vel insignes Reliquiae in Ecclesiis asservantur; quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam Fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio et Missa, sub poenis de non satisfaciendo praeepto recitandi Officium aliisque in Constitutione b. Pii V. contentis.“

Die 11. Aug. 1691.

Et facta de praedictis Sanctissimo per Secretarium relatione Sanctitas Sua hujusmodi Decretum approbavit, ac, ut debitae exequutioni demandetur, locorum Ordinariis injungendum esse praecipit. n. 3246 die 19. Oct. 1691.

(Bull. r. t. VII. p. 307.)

Ipsa Episcopus Venofranus in visitatione intus Armarium Sacristiae Ecclesiae Annuntiationis perspexit conservari quasdam Reliquias ss. mm. Nicandri, Marciani et Dariae, Patronorum Venafrani. Hae Reliquiae baptizatae adorationi fidelium exponi possint et processionaliter deferri, quidve de iis agendum sit?

S. C. resp.: Posse continuari ad formam decreti 1691 etiam quoad processionem, salvo tamen eodem decreto quoad Off. et Missam. n. 3306 ad 7 die 14. Martii 1693; n. 3873 die 29. Sept. 1714.

Si Officium et Missa celebrentur in Cathedrali propter insignem reliquam, quae ibi asservatur, non posse celebrari per civitatem sed in sola Cathedrali. n. 3301 ad 11 die 10. Jan. 1693.

Non licuisse nec licitum esse recitare Officium intuitu Reliquiarum de Sanctis, qui non recensentur in Martyrologio rom. S. R. C. 6. Apr. 1658.

Non posse recitari Offic. de Sanctis illis, de quibus nulla habetur mentio in Martyr. rom. Die 17. Apr. 1660; 21. Jan. 1662.

Ad dubium: An Cathedr. Collen., quae per 30 circiter annos recitavit Off. s. Aretinae v. et m. die 2. Junii eo, quod in ea asservatur Corpus, possit recitationem continuare? S. C. resp.: Doceant, an sit descripta in Martyrologio et de ejus identitate. n. 3477 ad 2 die 5. Julii 1698.

Capitulo Bituntino donatum est Corpus integrum s. Victoris m. una cum Authentica Emi et Rmi D. Card. Vicarii, asserentis extractum ex coemeterio Callisti, et cum S. R. C. non esse celebrandum Officium alicujus Sancti ratione reliquiae insignis, non constituto de *Identitate* ejusdem, decreverit, declarari supplicavit: an possit celebrari Officium s. Vict. m. praedicti

die 15. Decbr., cum in Martyrologio romano plures reperiantur Martyres ejusdem nominis et diversis diebus? S. C. resp.: *Negative*. n. 3777 ad 2 die 1. Oct. 1707.

Ad dubium: An coetui Parochorum et Beneficiorum parochiarum civitatis Conchen. liceat continuare in recitatione Officiorum de Sanctis etiam alienigenis, quorum corpora seu notabiles reliquiae in Cathedrali asservantur? S. C. resp.: *Affirmative*. n. 4374 die 15. Mart. 1774.

Consuetudo 30 annorum non habet vim ad hoc, ut continuari possit recitatio Officii de aliquo Sancto in Ecclesia, in qua asservatur ejus Corpus, nisi doceatur, an sit descriptus in Martyrologio et de ejus identitate constet. S. R. C. 5. Julii 1698.

Posse Moniales, si reliquia est *insignis*, ut praesupponitur, celebrare Officium de S. Maria Cleopha sub ritu duplici in die ejusdem festivitatis. n. 175 die 23. Novbr. 1602.

Necessarium esse, ut Reliquia sit *insignis* ejus Sancti, de quo celebrari petunt Officium, *veluti Corpus integrum aut magna pars ejusdem aut Caput aut sit ex Sanctis approbatis et positus in Martyrologio* et tunc in illa Ecclesia tantum, ubi est Reliquia insignis, in die ejus festivitatis celebrari poterit Officium, servatis Rubricis Breviarii de translatione festorum, quatenus festum Sancti caderet in die alterius magnae festivitatis, quae non erit ommittenda pro festo particulari celebrando ratione Reliquiae insignis. n. 539 ad 1 die 3. Junii 1617.

Officium esse solum recitandum in Ecclesia, in qua insignis aliqua Reliquia existit et propter ea alias Ecclesias non debere se conformare cum Cathedrali. n. 552 ad 2 die 12. Mart. 1618; n. 2749 ad 4 die 28. Septbr. 1675.

Festum novem lectionum non pro omni Sancto habente Ecclesiam vel Corpus *in loco*, sed celebrandum esse dumtaxat in *Ecclesia titulari* vel *in qua adest insignis Reliquia illius Sancti*. n. 669 die 16. Jan. 1627.

Vetuit et prohibuit S. R. C. celebrari per totam civitatem vel dioecesim, etiam de cujuscunque Ordinarii auctoritate, Missam vel Festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia parochialis vel regularis vel abbatialis aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsius sancti Ecclesia titulari seu ubi asservatur insignis Reliquia, et non alibi. n. 740 ad 2 die 8. Apr. 1628.

Quae omnia mandavit S. R. C. sub poenis contentis in Bullis Pii V. initio Breviarii et Missalis positis, quod scilicet *non satisfaciant muneri recitandi divini Officii*.

Ibidem ad 5.

Privilegium a S. M. Gregorio XIII. concessum (die 30. Decbr. 1573), ut possit fieri Officium in singulis Ecclesiis de Sanctis, quorum corpora vel reliquia notabilis essent intra dioecesim, decreto S. C. in principio Breviarii apposito, quo prohibetur celebrari per totam civitatem vel dioecesim etiam de cujuscunque Ordinarii auctoritate festum cum Officio Sanctorum praeter Titularis et habentium Reliquiam insignem, non fuisse sublatum. n. 1470 ad 1 die 8. Aug. 1643.

Ad dubia: 1. An Fratibus Monasterii s. Laurentii Securalensis Officium dupl. cum octava singulis annis in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae habent, ex indulto recitantibus, liceat simul festa *particularia die propria* celebrare de Sanctis, quorum corpora vel *notabiles Reliquias* custodiunt?

2. An id ipsis liceat saltem, quia hucusque ad novissima tempora recitare consueverunt?

3. An insuper celebrare possint festa *particularia cum ritu dupl.* de Sanctis, quorum Reliquias *notabiles* servant?

4. An juxta Brev. rom. sub ritu *semid.* tantum vel *simpl.* celebrare deberent Sanctorum Officia, si illorum Reliquia in Ecclesia *insignis non exstaret*?

S. C. resp.

Ad 1.: Affirmative, si Reliquiae Sanctorum sunt *insignes* aut *notabiles* seu illa pars corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva ac legitime ab Ordinario approbata et dummodo habeatur specialis concessio a Sede ap., quando iidemet Sancti descripti *non sunt* in martyrologio rom.

Ad 2.: Affirmative de Sanctis ut in primo; de aliis autem affirmative, si eorum celebratio invecata sit ante Bullam s. Pii V. editam 7. Idus Julii 1568.

Ad 3.: De Sanctis, quorum habentur Reliquiae *insignes* sub ritu dupl. min., si vero *notabiles*, ritu *semid.* et etiam superiori, si a Sede ap. aut S. C. R. concessum sit.

Ad 4.: *Negative*. n. 4409 die 29. Mart. 1783.

In Ecclesia Cathedrali Majoricen., in qua asservatur Reliquia non insignis s. Rosaliae v., Officium non ut usque adhuc sub ritu dupl. sed sub ritu *semid.* recitandum esse. n. 3379 die 21. Jan. 1696.

Vd.: *Beati*; *Reliquiae* (Unio variar. reliquiar.); *Festum ss. Reliquiarum* (transl.); *S. Ursula* (Officium, decr. n. 4198).

d) Officium non recitandum.

Vd.: *Offic.* (oblig. ad quod, decr. n. 4985); *Reliquia insignis* (Offic. recitandum, decr. n. 3777).

e) Quae est insignis?

Cf.: *Reliquia insignis* (Offic. recit. decr. n. 2363, 2612, 2364, 539, 716, 4409; Asservatio).

Reliquia insignis est Corpus integrum aut magna pars ejusdem aut caput. n. 539 ad 1 die 3. Jnn. 1617.

Insignes Reliquias esse: Corpus, caput, brachium, crus aut illam partem corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva et legitime ab Ordinariis approbata. n. 740 ad 3 die 8. Apr. 1628.

Quae sit insignis Reliquia et quae quantitas cinerum Sanctorum sit insignis Reliquia, S. R. C. noluit aliquid firmare, sed secundum casum contingentiam et qualitatem dabitur particulare responsum. n. 772 ad 12 die 28. Octbr. 1628.

Terra Patrignani adesse quoddam Os capitis s. Stephani protom.; interrogatur: an haberi possit pro Reliquia insigni? S. C. resp.: *Non posse*. n. 791 die 20. Dec. 1628.

Ad dubium: An Ossa foemoris alijus Sancti sint Reliquiae insignes? S. C. resp.: *Negative*. n. 4600 (sine dato; esse videtur de die 12. Apr. 1823).

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Etsi praefatum Decretum a S. R. C. non prodierit, sed ab alia, quae instituta est super *Indulgentiis sacrisque Reliquiis*, proindeque respondet quaeestionibus, quae nonnunquam circa eandem excitantur, nihilominus opportunum visum est illud nostrae Collectioni adjicere, quia connectitur cum aliis Decretis, quae ab eadem S. R. Congregatione evulgata fuerunt. Etenim non omnes quantumvis notabiles Reliquiae habendae et appellandae sunt insignes, itaut queat earumdem intuitu Festum cum Officio et Missa celebrari

in Ecclesiis, ubi asservantur, sed illae dumtaxat hoc gaudent honore, quae speciatim et nominatim insignes declaratae sunt. Usque ab anno 1617 sub die 3. Junii sancitum fuit ad effectum recitandi Officium et celebrandi Missam: *Necessarium esse, ut Reliquia sit insignis illius Sancti, de quo celebrare petunt Officium, veluti corpus integrum aut magna pars ejusdem aut caput*. Sed quoniam adhuc dubitari poterat, quid intelligendum esset per illud: *aut magna pars ejusdem*, magis id fuit expressum generali Decreto die 13. Jan. 1631, quo sancitum est: *Reliquias insignes esse caput, brachium, crus aut illam corporis partem, in qua passus est Martyr*; duplici tamen conditione adjecta: *dummodo sit integra et non parva et legitime ab Ordinario approbata*, atque hujusmodi Decreta tanto cum rigore accipienda sunt, ut, quamvis os princeps cruris sit *tybia*, nihilominus S. C. declaravit sub die 3. Junii 1662, *solam tybiam sine fibula* non esse Reliquiam insignem. Siquidem juxta S. C. sensum, *crus*, ut insignibus adnumeretur, integrum esse debet, et quoniam duobus ossibus constat, si unum desit, membri perit integritas. *Os foemoris* utique majus est ac *tybia*, nec tamen ut insignis Reliquia habendum est, quamvis notabilis sit corporis pars, nec proinde Clero Ecclesiae, in qua asservatur, concedere poterit Ordinarius Officium et Missam, etiamsi de Reliquiae authenticitate plane constet, et sit Sancti ab Ecclesia adprobati. Si ratio quaeeratur, cur nec foemora nec aliae notabiles corporis partes in Decreto non recensitae queant insignes appellari, facile erit eandem invenire. Quia, si liceret, ob cunctas Reliquias magnitudine et integritate notabiles Officium institui, nunquam esset finis Officiorum et in nihilum prorsus abirent Officia

ferialia ac dominicalia, et sequerentur quaecumque alia incommoda, ad quae unice praecavenda S. R. C. nedum quibusdam dumtaxat potioribus partibus insignis qualitatem convenire declaraverat; verum etiam et alias conditiones adjecerat, videlicet, quod Reliquiae sint de Sanctis canonizatis et in Martyrologio romano descriptis, et concessio intelligatur coërcita ad solam Ecclesiam, in qua asservatur Reliquia. Quod si emolliendo Decreti rigorem declaratum fuisset *os foemoris* insignem esse Reliquiam, possent etiam ut tales haberi *scapulae* aliaque omnes corporis partes, quae notabiles sunt, et ad aliquod peculiare Officium destinatae a supremo artifice et naturae conditore. Hinc, multiplicatis Reliquiis insignis qualitate donatis, ea etiam multiplicarentur incommoda, ad quae vitanda S. R. C. prudenti consilio quasdam potiores simul, et quoad usum notabiliores corporis partes distinguendas esse sanciverat, ut Sancti illi, quorum insignia, cum viverent, fuerunt membra, in iisdem honorarentur.

Duae Reliquiae in Cathedr. Patav. coluntur ut insignes sicque enunciantur in Calendario, quorum una s. Sebastiani m. constat ex duabus partibus fortasse ejusdem ossis ex minoribus, quarum partes unciarum quatuor vix aequant mensuram; altera s. Laurentii levitae m. exhibet extremam partem sinistri pedis cum quatuor prioribus digitis carne superindutis, quae quidem Reliquia quaque versus considerata duarum unciarum non excedit mensuram. Quum enunciatae duae Reliquiae habeantur ut insignes a ducentis et ultra annis, Missis eorundem SS. additur *Credo* ratione insignium Reliquiarum; quaeritur: num in invecta consuetudine perseverare liceat, etsi Reliquiae ipsae non praesferant conditiones a Decretis requi-

sitas, ut earundem ratione ponatur in Missa *Credo*?

Emi vero ac Rmi tuendis Ritibus praepositi... rescribendum censuerunt: „Negative, quum non sint Reliquiae insignes.“

Atque ita rescribendum et servandum mandarunt. n. 5000 die 7. Dec. 1844.

Tybia non est Reliquia insignis. n. 2170 die 3. Junii 1662.

Quoad insignitatem Reliquiarum SS. servandum esse decretum S. C. sub Urbano VIII. impressum in Breviario rom. n. 3410 ad 3 die 2. Apr. 1667; n. 2451 ad 2 die 15. Septbr. 1668; n. 4355 ad 3 die 23. Martii 1771.

Spinae de corona Domini J. Chr. inter Reliquias insignes computantur et speciali nota et cultu dignae sunt. S. R. C. 21. Jun. 1632.

28) Non insignes vel notabiles.

(Officium recitandum.)

Vd.: *Reliquiae insignes* (Offic. recitandum, decr. n. 4409).

Ad dubium: An in Ecclesia Cathedr. civitatis Majoricen., in qua asservatur Reliquia *non insignis* s. Rosaliae V. et de qua usque adhuc recitatum fuit Officium sub ritu dupl., licet in indulto idem recitandi alias obtento non exprimatur, sub quo ritu veniat recitandum, possit imposterum et debeat recitari sub ritu dupl. vel potius semid., cum ejusdem Sanctae Reliquia praefata non sit insignis?

S. C. resp.: Sub ritu semid. esse recitandum.

Die 21. Jan. 1696. *In Majoricen.*

Ad dubium: An Prior et fratres Monasterii s. Laurentii insuper (jam celebrato scilicet festo generali Reliquiarum) celebrari possint festa particularia cum ritu dupl. de Sanctis, quorum Reliquias notabiles servant?

S. C. resp.: De Sanctis, quorum habentur Reliquiae insignes sub ritu dupl. min., sin vero notabiles, ritu semid. et etiam superiori, si a Sede ap. aut a S. R. C. concessum sit.

Die 29. Mart. 1783 ad 3. *In Nulius s. Laurentii.*

29) Inventio.

SS. D. N. *Benedicti PP. XIV. Epistola ad Capitulum et Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Bononiensis data occasione, qua s. Proci Mart. corpus repertum in s. Thrasonis coemeterio in eadem Ecclesia collocandum transmittitur.*

Benedictus PP. XIV.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Jam dudum Nobis erat in animo unum aliquod Sancti corpus cum suo nomine proprio inventum mittere ad istam Nostram Metropolitanam Ecclesiam, inter caetera dona, quae ei largiri solemus quotannis, occasione solemnitatis s. Petri apostolorum principis, in cujus honorem eadem Ecclesia dedicata est.

§. 1. Non ignoramus, veneratione coli debere non solum cujuscumque Sancti corpus integrum, *sed quamlibet etiam partem a reliquo ejus corpore divisam*: „Haec est enim ss. Martyrum gloria, quorum etsi per univertum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo“; ita loquitur s. Maximus serm. 55. inter sermones, qui olim s. Ambrosio adjudicabantur, ut videre est in operibus hujus s. Patris tom. 2. editionis Parisiensis anni 1690 pag. 466. Cum s. Maximo cohaeret s. Gregorius Nazianzenus, qui in suo carmine de Virtute juxta interpreta-

tionem Petavii lib. 14. de Incarnatione cap. 11. §. 3. ait:

Tanta porro est veritatis veneratio Ut vel exiguus pulvis aut aliquod reliquiarum

Ossium vetustorum vel capillorum particula

Aut panniculi aut aspersi cruoris Nota quaequam, ad totius honorem aliquando sufficiant,

Et appellatione sanctae sunt reliquiae:

Cum certis locis attributa fuerint illa pro toto Martyre:

Eadem quippe vi praedita. O Miraculum!

Salutem enim affert etiam sola recordatio.

§. 2. Nobis constat praeterea, quod quotiescumque habentur indicia certa, corpus aliquod aut partem ipsius esse corpus, aut partem corporis alicujus Sancti, *licet hujus nomen lateat*; corpori tamen aut parti illi religiosus cultus debetur, qui caeteris Sanctorum Reliquiis praestari solet, ut late ostendimus in nostro opere de Canonizatione lib. 4. part. 2. cap. 27. editionis praesertim Patavinae, a Nobis, etiamsi assiduo gravissimarum occupationum pondere premeremur, plurimum locupletatae; qua editione, pro nunquam intermissa benevolentia vestra erga Nos laboresque Nostros, qualescumque, minime vos carere arbitramur.

§. 3. Ut vera sint, quae diximus, nemo tamen inficiabitur, multo praeclearius quid esse corpus integrum quam pars insignis ejusdem corporis, et multo majorem esse fidelium devotionem erga corpus alicujus Sancti, de cujus nomine proprio constat, quam alterius, cujus nomen ignoretur. Et propterea juxta veterem rom. Ecclesiae consuetudinem, Sanctorum corporibus, quorum nomen ignoratur, appellativum

nomen imponitur, ut recte ad rem Nostram, dum loquitur de consuetudine imponendi nomen appellativum corporibus Sanctorum, qui sine nomine inveniuntur, animadvertit eruditus Ferrandis in *Disquisit. Reliq.* lib. 1. c. 5.: „Minime superfluum est certa nomina incertis Sanctorum Reliquiis attribuere, quod experientia usuque quotidiano videamus, Fideles multo minori affectu, studio ac pietate affici et ferri erga divorum illorum exuvias, quorum nomina mortales latent, quam adversus eas, quae certis nominibus indigitantur; potentius enim Nobis nota et certa quam obscura ignota et incerta solent movere animos, ideoque major Dei gloriae atque coelitem cultus ac venerationis plerumque accessio fit“; praeter ea, quae collecta videre licet in Nostro supracitato opere editionis Patavinae lib. 4. part. 2. cap. 28.

§. 4. Hisce rationibus permoti corpus alicujus Sancti integrum cum proprio nomine invenire studuimus, illudque mittere ad vos, ut, quemadmodum significavimus, in Nostra Metropolitana Ecclesia collocaretur.

Atque ut id, quod in animo erat, consequeremur, necesse fuit Nostras perquisitiones ad ea venerabilia loca convertere, quae tantopere almam hanc urbem Romam illustrent: Loca, quae excavata olim et effossa a gentilibus, ut extraheretur arena communis et dicaearchea, ad extruenda magnifica illa aedificia, quorum adhuc apparent reliquiae, fuerunt postea decursu temporis a primis Christifidelibus sanctificata, qui illuc se ob persecutionum metum recipiebant, suos religiosos conventus ibi facturi, itaut ibidem sacrae etiam functiones a Summis Pontificibus perficerentur et ecclesiastica sepultura defuncti donarentur. *De coemeteriis loquimur seu catacumbis*, de quibus tam devote s. Hieronymus scribit,

praeter alios quamplures Antiquitatis Scriptores a Nobis citatos in cap. 27. operis Nostri, quibus in editione Patavina Joannem Bottarium addidimus, Bibliothecae Vaticanae Custodem, et Nobis ab intimo sacello, qui tom. 1. Romae subterraneae catacubarum modo explicatam originem feliciter detexit.

§. 5. Invento autem in catacumbis corpore integro cum nomine proprio, necesse fuit ultra procedere. Certum est enim, quod nulla sepeliebantur in catacumbis nisi Christianorum corpora, sed quod omnia Christianorum corpora ibi sepulta essent Sanctorum corpora, certum non est. *Propterea examinanda veniunt signa, quae in sepulchro erant*, ubi condebatur corpus integrum aut ejus pars, sive cum nomine proprio sive non. Nostri enim primitivae Ecclesiae Patres collocabant semper in Sanctorum sepulchris signa indicantia sanctitatem; ea vero nunquam collocabant in sepulchris illorum, quos uti Sanctos non habebunt.

Basnagio in suis operibus minime aridet sententia, quod in catacumbis non sepelirentur nisi Christianorum corpora. Sed illum egregio confutavit in suo opere de Monogrammate Christi Domini Capellanus Noster intimus Dominicus Georgius, cujus nomen claret in Republica literaria celeberrimum. Idem praestitit supra laudatus Bottarius, Basnagii sequacibus respondens. Nos vero, qui in prima editione operis nostri de Canonizatione conati sumus clare ostendere, quod soli Christifideles in catacumbis, de quibus loquimur, sepelirentur, summa animi Nostri voluptate in nupera editione Patavina addidimus ea pariter, quae duo praedicti Scriptores egregii animadvertant, eosque, uti par erat, nominavimus; abhorruimus namque semper semperque abhorrebimus a prava quorundam consuetudine, qui ut suos faciant alienos labores indigno plagio tegunt

auctorem verum, cujus nomen postea nihilo tamen secius innotescit.

Datum Romae apud s. Mariam maj. die 20. Apr. 1745.

(Bull. Bened. XIV. App. ad t. IV. p. II.)

30) Lumina.

Vd.: *Lampas* (ante Imagines); *Dedicatio Ecclesiae* (Vigil., decr. n. 4742 nota); *Reliquiae* (Incens., decr. n. 2345).

Ante s. Reliquias expositas lampas omnino continuo ardere debet et super altare saltem duo lumina ardeant, alias Reliquiae non exponantur. n. 3575 ad 9 die 22. Jan. 1701.

Ad dubium: Utrum thecae deauratae Sanctorum Reliquiis addictae ad altaris ornamentum inter candelabra collocatae et apertae singulis diebus sine lumine sic permanere possint?

Rescriptum prodiit: „Ante s. Lipsana exposita saltem duo lumina ex decretis collucere debere.“

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare.

N. 5208 ad 18 die 12. Aug. 1854.

Si celebrandae sunt processiones pro translatione insign. Reliquiarum SS., lumina seu funalia accensa deferri magis convenit.

Caer. Ep. I. II. c. XXXII. n. 9.

31) SS. Martyrum.

Utrum in altari recondendae? vd.: *Dedicatio Eccles.* (Vigil., decr. n. 4742 nota).

32) Ornatus.

Ad preces Monial. Ord. SS. Salvat. dioec. Calagur., ut liberum sit Confessario et Abbatissae pro tempore nonnullas Sanctimonialia deputare ad Sanctorum Reliquias exornandas perpoliendasque,

S. C. . . . rescribendum censuit: „Adeant Episcopum.“

N. 4715 ad 7 die 17. Aug. 1833.

Decreta authentica. Tom. III.

33) Osculum.

Vd.: *Cruz* (reliquia, osculum).
Potestne Sacerdos finita Missa in paramentis reliquias deosculandas praebere? vd.: *Cineres* (distrib. post missam, decr. n. 4707).

34) Processio.

a) A Dignit. facienda.

Delationem Reliquiae in processione solemnii (absente Episcopo) spectare ad primam Dignitatem et ea impedita ad secundam ordine successivo. n. 1316 die 20. Apr. 1641.

Capitulum et Canonicos, quando in processionibus deferuntur Reliquiae ad Ecclesias Regularium, terminata functione ac data benedictione per illas deferentem, teneri et cogendos esse expectare ipsum deferentem, donec sibi mutaverit habitum, asserta consuetudine in contrarium non obstante. n. 2289 ad 2 die 30. Aug. 1664.

Vd.: *Baldachinum in processione ss. Reliquiarum.*

In processione s. reliquiae insignis (brachii) s. Gaudentii Montis Alboti Senogall. dioec. eam portare ad Priorem Ecclesiae regul. s. Francisci pertinere, unde reliquia sumitur, qui solus cum suis ministris paratis in ultimo loco incedat, caeteri vero fratres conventus cum sua cruce praecedant ante Clerum in loco debito juxta eorum consuetudinem et Presbyteri et Clerus saecularis sequantur post fratres et regulares et immediate ante reliquam incedant.

Die 24. Sept. 1605. (Analect. J. P. 1863.)

Orta iterum controversia S. C. resp.: Prior conventus s. Francisci, ubi reliquia asservatur, illam portet usque ad portam Ecclesiae oppidii Montis Bodii et in porta illam consignet in manibus dignioris Curati ejusdem terrae, qui in processione dictam re-

liquiam per oppidum deferat et in reditu illam pariter consignet in manibus Prioris conventus s. Francisci in eadem porta Ecclesiae.

Die 19. Apr. 1608. *Ibid.*

Sed sub die 23. Jan. 1610 primum decretum anni 1605 est innovatum et secundum decret. anni 1608 est revocatum. *Ibid.*

b) Episcopus assistit.

Cf.: *Episcopus assis. process.; Reliquia* (veneratio etc.).

In processione cum Reliquiis Episcopum debere *post* reliquias incedere. n. 1254 die 21. Aug. 1640.

Episcopus in processionibus cum Imaginibus et Reliquiis faciendis cum cappa et bireto incedens *post* Imaginem seu Reliquiam procedere debet, nisi adsit consuetudo in contrarium. n. 789 ad 2 die 20. Decbr. 1628.

Functiones in translatione Reliquiarum numerari inter functiones episcopales. n. 1696 ad 1 die 7. Mart. 1654.

Servandam esse consuetudinem Capituli Cathedr. Urban., incedendi in publicis processionibus *post* s. Imagines, dummodo Episcopus cum pluviali et mitra non incedat n. 3255 die 24. Nov. 1691.

c) Tecto vel detecto capite.

Cf.: *Processio* (tecto vel detecto capite); *Pileum*; *Baldachinum* (ss. Reliquiarum, decr. n. 4227).

Non licere Magistratui civitatis Cajetanæ incedere capite cooperto, quando defert hastas baldachini in processionibus cum asportatione insignis Reliquiae signi ss. crucis et statuae et reliquiae brachii s. Erasmi protectoris civitatis. Ita servari mandavit S. C. etiam ab universo Clero et aliis saecularibus praedictas processiones comitantibus. n. 3169 die 25. Septbr. 1688; n. 3185 die 11. Junii 1689.

Magistratus in processionibus, in quibus non gestantur Reliquiae insignes, incedere potest capite cooperto ad instar Cleri. —

Magistratus, *baldachini hastas deferens* in processionibus, in quibus Reliquiae non portantur, sed aliqua statua vel figura alicujus Sancti, non potest cooperire caput, nec Presbyteri sub eodem baldachino incedentes. n. 3230 ad 2 et 3 die 2. Septbr. 1630.

Ad dubium: Archipresbyter insignis Collegiatae civitatis novae Firmanae dioecesis declarare postulavit: an liceat sacerdoti deferenti in process. Sanctorum Reliquias tecto capite incedere?

S. C. resp.: Negative, scilicet sine bireto eas a sacerdotibus quavis dignitate fulgentibus deferendas esse.

Die 1. Decbr. 1657. *In Firmana*.

d) Vetita.

Expositum fuit a Capitulo civitatis Dertusen., quod, cum flumen Iber Dertusen. praeterfluens nimis intumescit et in omnibus omnis generis fructibus et bonis detrimenta minuitur, ab immemorabili tempore servatum fuisse morem ad ejus ripam processionaliter accedere afferendo reliquiam s. Candidae, ejusdem civitatis Patronae, argenteae urnae ipsius s. Imaginem referenti inclusam eamque universo spectante populo in fluminis aquam intingere, ut Deus ejusdem Sanctae intercessione flumen inter ripam cohibere dignaretur. Synodalis Constitutio hujusmodi ritus omnino prohibet.

S. C. resp.: Servetur Constitutio Synodalis. n. 4350 die 11. Septbr. 1769.

Vd.: *Beati* (decr. n. 2002 ad 11); *Reliq.* (vener., decr. de die 27. Sept. 1817; baptizatae).

e) Simul cum SS. Sacramento in processione deferendae non sunt Reliquiae.

Vd.: *Processio Corp. Chr.* (Quae res etc.).

35) Repositio.

Vd.: *Altare* (reconcil.); *Reliquiae* (in altari); *Dedicatio Eccles.* (Vigil., decr. n. 4742 nota); *Reliq.* (Impositio).

Repositio Reliquiarum in sepulchro polluti altaris non potest fieri ab alio quam Episcopo. n. 1632 ad 3 die 2. Martii 1652.

36) Sine Reliquiis in altari potestne celebrari?

Vd.: *Altare port.* (Execratio, decr. n. 5043, 5081, 5162); *Reliquiae* (Impos. ab Episcopo etc., decr. pro dioec. Limburg.); *Reliquiae* (in altari).

37) SS. Sanguinis J. Chr.

Vd.: *Reliquiae* (guttae etc.).

38) Coram SSmo expos.

Vd.: *Instructio Clement.* §. IV. n. 1—5; §. XXIV. n. 21 etc.; *Reliquiae* (superimp. tabern.); *Reliquiae* (veneratio et usus).

Sanctorum Reliquiae non sunt collocandae super altare, in quo reipsa SSmmum publicae venerationi est expositum. n. 4119 ad 5 die 2. Septbr. 1741.

Ad dubium: An in Ecclesiis, ubi aliquod festum celebratur, cujus ratione Sancti Reliquiae sunt expositae, possit post vespas festo durante exponi s. pyxis cum SSmo per breve temporis spatium ad recitandas nonnullas preces, quae cum benedictione SSmi absolvuntur, non remota eadem Reliquia?

S. R. C. resp.: Negative. n. 4831 die 19. Maii 1838.

39) Non superimponendae tabernaculo.

Cf.: *Reliquiae* (coram exp. SSmo); *Tabernaculum* (ornatus); *Imago Titularis ponenda in altari etc.* (decr. n. 4793 nota).

Ad dubium: An toleranda vel eliminanda sit consuetudo, quae in dies invalescit, superimponendi Sanctorum Reliquias pictasque Imagines Tabernaculo, in quo Augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat?

Et S. eadem R. C. . . . respondendum censuit, ut infra, videlicet: Assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandam omnino esse.

Et facta de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. P. M. relatione S. S. S. C. responsa adprobavit confirmavitque atque, ut cunctis pateant, decretum generale desuper expediri typisque evulgari mandavit.

N. 4578 ad 6 die 21. Martii et 3. Apr. 1821.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Videri possunt, quae notata sunt ad §. 4. Clement. Instructionis *ibidem* num. 1 et 2. Si illicitum declaratum fuit a S. R. C. retinere vas florum ante tabernaculi ostiolum, in quo Crucifixi imago sculpta conspicitur (ita in una Congregationis Montis Coronae 22. Jan. 1701), multo magis illicitum erit superimponere tabernaculo, in quo asservatur SSmmum Sacramentum, Reliquias aut Sanctorum imagines. Gavantus ad *rubr. Missal. tit. 22.* agens de *praeparatione et ornamentis altaris*, postquam notaverat: *Vasa quoque Reliquiarum exponi possunt hinc inde vel inter candelabra*, continuo addit: *qua in re cavendum illud erit, ne unquam supra locum Sacramenti . . . Reliquiarum vasa collocentur. Decet enim sedere Dominum supra servos suos.* Abusus nihilominus universaliter serpit, ut prae-